

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## In Melissa multa nova ...

- ... Aestate nondum finita, nonnulla iam referuntur ☛ p. 2
- ... De condicione mulieris antiquae quis cogitat ? ☛ p. 3
- ... Architectura Mahumetana habet originem Byzantinam ☛ p. 6
- ... Ab oblivione vindicantur elegiae et epigrammata ☛ p. 8
- ... Bibliotheca Latina augetur ☛ p. 10
- ... In Hispania nuper actum est de litteris renatis ☛ p. 11
- ... Opera Volfgangi de Goethe in Latinum vertuntur ☛ p. 12
- ... Historia substantiarum psychotropicarum proponitur ☛ p. 14
- ... Erasmus habet novum hortum ☛ p. 16



*Inter conventiculum Lexintonianum: Terentius Tunberg, Stephanus Berard, David Morgan*

## DE NOVO ITINERE AMERICANO

**A**mericam nos Melissae moderatores herno iterum petivimus a Prof. Terentio Tunberg eiusque uxore Guenevera invitati ad conventiculum Latinum participandum, quod Lexintoniae in studiorum universitate Kentukiana quotannis instituere solent. Eadem perhumana hospitalitate fructi sumus, qua ante duos annos cum primum adfuimus conventiculo Lexintoniano. Hornotinum conventiculum praecedentibus longius fuit, nam non ex una sed e duabus septimanis constitit. Ad quinquaginta homines nomen dederant, inter quos nonnulli «veterani», quos ante duos annos noveramus et libenter denuo convenimus. Interfuerunt etiam duo Germani, Ioachimus et Rutha Klein LVP Ae sodales, Italus Aloisius Miraglia et Iapo Accius Watanabe. Ceteri participes e multis, quin etiam longinquis Americae Septentrionalis civitatibus confluerunt; horum plerique sunt magistri linguam Latinam docentes.

Tanta est diversitas in institutione Americana, ut tota vix possit capi. Nam non solum sunt et

scholae publicae et multae scholae privatae, sed insuper leges quae spectant ad institutionem non sunt eadem in singulis Foederatis Civitatibus. Addendum est qualitatem et severitatem institutionis non parum differre inter singulas scholas et singulas universitates.

E colloquiis cum participibus habitis nonnulla tamen colligere potuimus.


Pueri Americani solent scholam elementariam usque ad aetatem tredecim annorum frequentare; ibi linguae Anglicae grammatica satis raro docetur.

Postea per quattuor annos cyclum superiorem perficiunt. Eo tempore debent alteram linguam discere, quam inter complures possunt eligere. Plerique linguam Hispanicam eligunt, cum sit maxime usitata in continente Americana. Eis etiam licet linguam Latinam eligere, id quod non pauci faciunt, propterea quod constat Latinistas ea examina facilius superare, quibus aditus patet ad studiorum universitatem. Inde fit ut nunc temporis America magistris linguam Latinam docentibus egeat.

Conventiculo interfuerunt magistri extremarum condicionum, sicut magistra Civitatis Indianae, cuius in schola iam non sunt discipuli linguam Latinam discentes, et alius magister, qui in schola privata una cum duobus collegis linguam Latinam docet ducentos discipulos.

Cum discipuli eligere possint alteram linguam discendam, exstat competitio inter linguam Latinam et linguas vernaculas. Hac de causa magistri, si munus volunt servare, coguntur institutionem praebere optimam et attractivam. Hic percipitur emolumentum Latinitatis vivae.

Professoris Terentii Tunberg meritum est hoc, quod conventicula Latina ante quinque annos instituit, quibus magistri erudirentur ad Latinitatem vivam, id est ad usum linguae Latinae in scribendo et loquendo. Plures in annos experiuntur quantum haec conventicula adiuvent in docendo. Praeterea nonnulli eorum novam delectationem invenerunt in usu linguae Latinae. Etiam sunt, qui Latinitatem vivam ipsi propagare statuerint, sicut Stephanus Berard qui in sua Civitate Vasintoniana prope urbem Seattle proximo anno moderabitur «conventiculum rusticum», de quo praeconium mox divulgabimus.




*Terentius et Guenevera Tunberg*



Terentii Tunberg conventicula tam prospere succedunt, ut idem mente iam agitet nova consilia, quae inter seminarium Siciliense est patefacturus. Manifesto in occidentali ripa Oceani Atlantici Latinitas viva crescit.

Gaius LICOPPE

*Imago ad dextram: Melissa moderatores etiam participaverunt Ferias Ferigoletenses (hic conspiciuntur Clemens Desessard, Philippus Vellard et Thomas Pekkanen). Feriarum initio celebratus est octogesimus dies natalis Clementis Desessard, qui iam viginti fere annos instituere solet Ferias Latinas in Francogallia meridionali.*



## DE CONDICIONE MULIERIS ANTIQVAE:


### EXEMPLVM CALPVRNIAE

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

« Amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine, cum videor acturus, quanto, cum egi, gaudio adficitur! Disponit, qui nuntient sibi quem adsensum, quos clamores excitarim, quem eventum iudicii tulerim. Eadem, si quando recito, in proximo discreta velo sedet laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat etiam formatque cithara non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. His ex causis in spem certissimam adducor perpetuam nobis maioremque in dies futuram esse concordiam. Non enim aetatem meam aut corpus, quae paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit.»

*Plinius, Epistulae, IV 19.*

Affabilis est ille Plinius Iunior. Sed non nimis sollers. Dum ingenue narrat uxorem suam ea de causa esse eximiam et laudabilem et amore dignam, quod ipsum veneratur, dum se sic praebet contentum de ea et imprimis de se, mulieribus inscius optimam praebet occasionem viros vituperandi. Quid? Uxor nihil aliud est nisi speculum, in quo maritus se ipsum admirari potest? Sed certe etiam aliud est: etiam est procreatrix liberorum. Hic videmus Calpurniam non esse omni ex parte perfectam: nam abortum



fecit. Tamen reprehendenda non est, cum in culpa solum sit eius inscitia et nimia iuventus; proxima occasione procul dubio melius faciet:

«C. Plinius Fabato prosocero suo s.p.d. Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc tristior audies neptem tuam abortum fecisse, dum se praegnantem esse puellariter nescit ac per hoc

quaedam custodienda praegnantibus omittit, facit omittenda; quem errorem magnis documentis expiavit in summum periculum adducta.»

*Plinius, Epistulae, VIII 10.*

Nonne ipse, quippe qui esset aetate provectior atque iam tertiam numeraret uxorem, aliquam curam habere potuit de tenera et imperita Calpurnia, de valetudine coniugis, de partu desiderato?

At quid ipse scivit de hac re? Fortasse id, quod eius avunculus monuit: comedendos esse testes gallinaceos ad marem pariendum; contra abortum corpus esse perungendum cinere irenaeorum cum oleo mixto; partum adiuvari fimo anserino diluto cum aquae duobus cyathis; vermes et illitos et in mulso potos et collo adalligatos multimodis prodesse; cochleas esse semper comedendas; praegnantem mulierem non esse vipera transcendenda; diligenter esse angues lumbis alligandos, vulturinas pennas pedibus subiciendas, fimum accipitris in mulso bibendum, ovum corvi vitandum. Omnia tum bene se esse habitura<sup>1</sup>. Certe Plinius Maior, qui haec utilia indicat, medicus non est; sed ipse Celsus meliora non habet proponenda; solum monere valet «mulierem gravidam acuto morbo facile consumi»<sup>2</sup>, «mulierem ex partu, si cum febre vehementibus etiam et assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis esse»<sup>3</sup>, abortus periculum esse «si subito mammae emacuerunt»<sup>4</sup>. Quid autem sit faciendum, divinet mulier ipsa. Celsus enim de graviditate vix plura tractat - nisi haec pars operis est decursu saeculorum perdita.

Interea Plinii uxor, tantis malis perpessis, tamen feliciter non est mortua. Itaque de nova progenie exspectanda, de qua Plinius magis sollicitari videtur quam de uxoris valetudine, spes non est deposita:

«Fuit alioqui in summo discrimine, impune dixisse liceat, fuit nulla sua culpa, aetatis aliqua. Inde abortus et ignorati uteri triste experimentum. (...) Memento tamen dilatum magis istud quam negatum, cum salva sit ex qua sperari potest.»

*Plinius, Epistulae, VIII 11.*

Plinii sermone tantus egoismus, tanta fatuitas manifestatur, ut Calpurnia videatur miseranda. Num cum eo re vera vixerit felix, dubitare licet, quamquam haec quaestio antiquitus fortasse non fuit primordialis.

Antiquis enim temporibus magis colitur socialis felicitas quam privata. Homines matrimonium eo consilio contrahunt et contrahere debent, ut liberos habeant; sic fundatur stabilitas humanae societatis. In hac re significativa sunt verba Metelli Numidici a Gellio relata:

«Multis et eruditus viris audientibus legebatur oratio Metelli Numidici, gravis ac disertus viri, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoris, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur. In ea oratione ita scriptum fuit: «Si sine uxore esse possemus, Quirites, omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuae potius quam brevi voluptati consulendum est.» Videbatur quibusdam, Q. Metellum censorem, cui consilium esset ad uxores ducendas populum hortari, non oportuisse de molestia incommodisque perpetuis rei uxoriae confiteri, neque id hortari magis esse quam dissuadere absterreque; sed contra in id potius orationem debuisse sumi dicebant, ut et nullas plerumque esse in matrimoniis molestias adseveraret et, si quae tamen accidere nonnumquam viderentur, parvas et leves facilesque esse toleratu diceret...»

*A. Gellius, Noctes Atticae, I 6.*

Inde fit, secundum eundem Gellium<sup>5</sup>, ut sterilitas esse possit causa divortii. Etiam melius: Cato Uticensis dicitur uxorem suam commodavisse amico, qui liberos non habebat, eamque post amici mortem denique recuperavisse<sup>6</sup>.



Matrimonio «cum manu», quod vocatur, mulier a potestate patris traditur ad mariti potestatem. Hoc fieri solet sive per «confarreationem», i.e. modo religioso, sive per «coemptionem», i.e. ficta venditione mulieris, sive per «usum», i.e. post unionem unius anni, cum secundum ius cuiuslibet



rei detentor transacto anno fiat possessor legitimus. Quicumque ritus eligitur, propositum idem manet atque nupta sollemniter ducitur ad mariti domum, qua «deductione uxoris», ut aiunt, significatur transitus a paterna auctoritate ad maritalem.

Rationes, quibus marito licet uxorem repudiare, etiam bene ostendunt quantum femina sit socialibus regulis obnoxia. Iam diximus de sterilitate. Etiam licet repudium remittere si uxor abortum voluntarie fecit invito marito; nam abortu crimen editur in totam familiam, quae sperata subole orbat. E contrario, si mulier non est maritata, aut si maritus rei assentitur, abortus non habetur pro scelere, cum embryo non putetur esse aliquid iam per se vivens. Repudium etiam potest renuntiari si uxor vinum bibit; sic enim inquinatur sanguis eius, id est totius familiae. Hac vini interdictione iterum manifestatur servitus muliebris. Quid autem si mulier vino hausto mentem amittit, quam natura non habet superfluum, si credimus Aristoteli? Sed insuper periculum est ne pota femina a Baccho mox transeat ad Venerem... Ergo alia divortii causa pertinet ad adulterium, sed solum ad adulterium uxoris. Marito in hac re omnia videntur esse licita.

\*  
\* \*


Certe Romae paulatim fit quaedam emancipatio: matrimonio magis magisque «sine manu» contracto, femina res suas maiore libertate administrare potest. Meretur pecuniam. Terentia uxor Ciceronis usuras dat, etiam suo marito. Politica tamen iura feminae numquam sunt accepturae.

Denique felix dici potest mulier, quae tale merita est epitaphium:

Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrae feminae.  
Nomen parentes nominarunt Claudiam.  
Suom mareitum corde deilexit souo.  
Gnatos duos creavit, horunc alterum  
In terra linquit, alium sub terra locat.  
Sermone lepido, tum autem incessu commodo.  
Domum servavit, lanam fecit. dixi. abei.

CIL I<sup>2</sup> 1211<sup>8</sup>.

Mulier enim, quae liberos peperit, quae stirpem propagavit, quae cum marito vixit sine querela, pervenit ad perfectam vitam, quam Romanae mulieri licuit sperare. Atque si insuper amata est a marito, tum fuit felicissima.



In his paginis ostenduntur tres notissimae imagines Pompeianae:

- effigies pistoris Pacuvii Proculi eiusque uxoris, valde similis imaginibus in regione Fayoum inventis;
- iuvenis mulier Herculanaensis: tamquam camaeus;
- venusta ancilla genu nixa, in domo «Amoris puniti».

#### ADNOTATIONES


- 1 Plinius, Historia Naturalis, XXX 123 sqq.
- 2 Celsus, De Medicina, II 6.
- 3 ibid. II 8.
- 4 ibid. II 8.
- 5 Noctes Atticae, IV 3.
- 6 Lucanus, Pharsalia, III 321.
- 7 ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ I 7 (1260a): ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν, ἀλλ' ἄκυρον, ὁ δὲ πᾶσις ἔχει μὲν, ἀλλ' ἀτελής.
- 8 in: A. ERNOUT, *Recueil de textes latins archaïques*, Paris, Klincksieck, 1947, pp. 77-78.

# DE MAHVMETANAE ARCHITECTVRAE

## ORIGINIBVS (III)

SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

**O**mar, secundus califa, cum Hierosolymis anno 638 potitus esset, ingentem aream templi Herodiani tunc relictam novo cultui Mahumetano statim dedicavit; quae area consecrata vocata est «Haram al-Sharif».



*Ichnographia areae sacrae «Haram al-Sharif»*


Tholus Saxi, ut antea narravimus, minimam partem huius areae occupat et solum ornat montis Moriae sacrum fastigium in modum martyriorum Byzantinorum. Re vera tota area templi Herodiani habebatur meschita subdivalis ubicumque precibus prostrationibusque apta; deerat vero pars tecta.

Al-Walid, sextus Omeiadum<sup>1</sup> califa, rem perficere statuit, Christianorum templa imitando. Nam secundum dispositionem ecclesiae Resurrectionis, quae, interposito atrio, tholo Sancti Sepulcri iungebatur, voluit Tholum Saxi cum altero aedificio temperare. Quod aedificium inter annum 707 et 709 exstructum vocatur meschita «al-Aqsa». Disposita est ad latus meridionale areae templi Herodiani atque ita a Tholo Saxi ad meridiem versa, ut meschitae intima pars ad Meccam spectaret; quae urbs ab Omeiadibus anno 693 expugnata iterum facta erat umbilicus sacer Arabici imperii.

Meridionalis meschitae murus ad Meccam spectans vocatur «qibla» atque ornatur parva excavatione apside praedita, quae vocatur «mihrab». Huius modi cavationes plus minusve ornatae et ad Meccam semper spectantes in omnibus meschitis inveniuntur praeter primam, quam Mahumetus ipse Medinae in sua domo curavit exstruendam.


Multum disputatum est de huius cavationis significatione. Eius forma manifesto ducta est a synagogarum cavatione, ubi in Iudaeorum venerationem exponitur Thora (Pentateuchum). Optimum huius modi cavationis exemplum praeislamicum praebetur in antiqua synagoga (III s.), quam archaeologi Francogalli in ruinis Durae Europou ad Euphratam invenerunt atque in museum archaeologicum Damascenum transportaverunt.

Mahumetana cavatio «mihrab» etiam videtur aliquid trahere ex antiquarum Christianarum ecclesiarum apside, quae locum tenet sumptuosi tapetis supra cuiusdam dei statuum vel regis thronum sollemniter dispositi; est re vera symbolum divinitatis.



*Ichnographia meschitae «al-Aqsa»*





*Haec est cavatio qua ornabatur synagoga tertii saeculi in ruinis Durae Europou inventa et nunc in museo Damasceo servata.*


Haec de forma. Quid de significatione apud Mahumetanos?

Certe errant ei, qui dicunt cavationem «mihrab» locum Mahumeti sedis indicare; ipsum enim Mahumetum colere fas non est; Allah solus colitur. Quare cavatio «mihrab» videtur solum directionem Meccae monstrare, ad quam vergunt prostrationes et tendunt preces; itaque habenda est ut fenestra mystica universo divino patens. Ad quod comprobandum iuvat XII saeculi cavatio «mihrab» Mausilio (v. Mossoul) transportata in museum Bagdatense, ubi depicta est parva porta hians.


Meschita «al-Aqsa» nostris temporibus constat e septem porticibus muro «qibla» perpendicularibus, sed nobis difficulter fingere possumus qualis in initio fuerit, cum tot tantasque mutationes decursu saeculorum passa sit.

Angli inter annos 1924 et 1942 in aedificii historiam diligentissime inquisiverunt, dum id res-

taurant<sup>2</sup>. Originalis meschita «al-Aqsa», sola totius Syriae Palaestinaeque, exstructa est in formam basilicae Byzantinae et non secundum Medinense exemplum domus Mahumeti. Ut solet in basilica, porticus medius ceteris latior et altior est; ei superpositus est tholus prope cavationem «mihrab», quae, ut supra diximus, loco apsidis sita est. Arcus quibus sustinetur tholi materiatio pertinent ad aedificium originale atque pulchre ornati sunt aureis operibus musivis cum palmis et varia ornatone florali.

Necesse est vicissitudines orientis Omeiadum imperii recordemur: rebellantibus Meccanis, Omeiades imprimis voluerunt montem Moriam sacrare, qui fieret umbilicus orbis Mahumetani; postea, domitis Meccanis, eorum urbs iterum facta est umbilicus Islamismi. Meschita «al-Aqsa», pars tecta maioris meschitae subdivalis, qua etiam Tholus Saxi continetur, tunc a structoribus ita disposita est in axe inter montem Moriam et Kaabam Meccanam, ut fieret mystica iunctura inter aemulos umbilicos. 

*(continuabitur)*



*Meschita «al-Aqsa»*

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Omeiades,um: hanc orthographiam adhibendam esse suadet P.C. Eichenseer secundum exemplum neograecum, quod est Ομειάδες.
- <sup>2</sup> R.W.Hamilton, The structural history of the Aqsa mosque, Jerusalem 1949.

*Lectores attendite: propter incuriam cursus publici factum est, ut nonnulli vestrum sive praeteritum sive superiorem Melissa fasciculum non acciperent. Qui nos faciant, quaesumus, certiores, ut hoc incommodum resarcire possimus.*

# ELEGIAE ET EPIGRAMMATA

## IULIANI WAVDRAEI [I]

SELECTA A THEODORICO SACRÉ

### A. E *Libro monostichorum* (Francofurti, 1645)<sup>1</sup>

1. Lectori (nr. 26)  
Te recreare volo conorque docere iocando,  
saepe iocus sedem nullibi morsus habet.
2. Vicissitudo pacis et belli (nr. 169)  
Mars abit et pax fit; ditatur homoque superbit,  
contemnit felix numina Marsque redit.
3. De meditationibus R.P. du Pont Soc. Iesu (nr. 1548)  
Ad caelos terris pons est meditatio Pontis.<sup>2</sup>
4. Balbo (nr. 680)  
Si petis orta loco quo sit resonabilis Echo,  
ex labiis ortam dixero, Balbe, tuis.
5. Balbo (nr. 211)  
Balbutire cave: dices contraria - ferre  
cum «decus opto» voles, «dedecus opto» feres.
6. Balbo (nr. 1276)  
Dicere «care» volens dicis mihi, Balbe, «cacare».  
Vox tua sit simplex; non duplicata placet.
7. Iocus de Petlonilla et Petlo (nr. 1590)  
Petlonilla Petlum nallatul amale malitum,  
glataque pelcalo dicele velba Petlo.
8. Iocus de Petlo et Petlonilla (nr. 1591)  
Lite Petlonillam feltul ledamale malitam  
colde pali lalus vil plobitate Petlus.
9. Basia (nr. 47)  
Nulla furoris ama dare basia: semper haberis  
fur-oris quando basia vi dare vis.
10. Carmina (nr. 740)  
Carmina sunt mentis sicut sunt flamina ventris:  
fortuito veniunt, non mihi quando lubet.

### B. Ex *Elegiarum ad Philomusum libris tribus* (Montibus Hannoniae, 1638)

11. Poeta dicit gratam poetis musicam, et ipsos

musicis concordare.<sup>3</sup> Orlando Montensi,  
musico clarissimo, epitaphium ponit atque  
suadet Philomuso<sup>4</sup> musicam Musis coniungere  
(pp. 133-134)

Experior laetos, ut ais, Philomuse, poetas  
musica quos promit dulcis amare sonos.  
Musicus et vates cantorum nomen habentes  
moribus apparent ingeniisque pares:  
fessus in arte lubens Baccho sociatur uterque  
datque suas neuter, cum dare poscis, opes.<sup>5</sup>  
Seriuse ad flexum vocis me paenitet aequas  
cantibus a pueris non didicisse notas:  
tristibus Orlandum defleret naenia formis  
ducta, sono verbis conveniente suis.  
Nunc ea quae possit vates non musicus umbrae  
muta locuturi signa doloris agam.  
Reliquias cineris quaeras, Philomuse, rogales  
hosque loca versus ante sepulcra meos:  
CLARIOR ISMARIO<sup>6</sup> MONTENSIS SVBIACET  
ORPHEVS  
QVI MERITI SEMPER PERGIT HONORIS ITER.  
AVGET ADHVC TOTO CRESCENTIA LAVDIS IN ORBE  
NOMINA, PERPETVO CRESCERE DIGNA DIE.  
IPSIVS EGREGIOS VIVENTIS IBERIA CANTVS  
FOVIT ET ARCTOO TERRA SVBACTA POLO.<sup>7</sup>  
Te precor inde tuae variarum scire notarum  
per numeros vocis multiplicare gradus.  
Sparta sit et doctae nobis exemplar Athenae,  
Musa quibus, pariter musica culta fuit.<sup>8</sup>  
Socratis et divi referam si facta Platonis,  
sicut hic, argutum noverat iste melos.  
Credidit humanos illud conducere mores  
ac animi motus mitificare feros.  
Quid memorem digitos ut equum delphina  
moventes

per mare salvandae subdere dorsa lyrae?<sup>9</sup>  
Supprimo Thebanis dantem fundamina muris,  
aspera dum molli pectine saxa movet.<sup>10</sup>  
Mercurius, natam quo se facundia iactat,  
primus et ipse fuit cantor Apollo meus.  
Sic, Philomuse, tuo misce solacia Marti:  
est ratio magnos cur imitere deos.





Natus<sup>11</sup> est Montibus Hannoniae loco non ignobili (maiores enim typographiae sese dedere) anno circiter 1595 Julianus Waudraeus idemque liberaliter mox est educatus in Collegio Houdano, quod erat eis temporibus celeberrimum (rexerat illud olim Petrus ille Procurator Atheniensis (ca. 1530-1603), vir artis grammaticae peritissimus); toto autem studiorum inferiorum emenso curriculo, annos natus circiter XIX Duacum se contulit in studiorum universitatem ut philosophiae incumberet; deinde, edito in lucem carminum libello (anno 1618) indulsit itineri Italico, Urbem vidit, Tibur, Praeneste, Florentiam; in patriam redux Collegii Houdani rector est creatus, quo munere inde ab anno 1625 per quadriennium functus esse videtur; anno enim 1629, litibus nescio quibus coortis, munere eo se abdicare est coactus; mox autem (anno 1631) in amplissimum canonicorum Montensium ordinem ita est promotus, ut, cum ei curae quaedam ecclesiasticae incumberent, tamen in otium litterarium concedere interdum licuerit. Itaque otii docti fructus in lucem publicam interdum emisit. Cui plauserunt cum alii, tum Franciscus ille Sweertius (1567-1629) quo familiariter utebatur, scriptorem dico Antverpiensem eundemque Justus Lipsii amicum; qui ita de viro iudicavit: «(...) edidit *Epigrammatum libb. III* in quibus *Ovidii* facilitatem elegiacam, et *Martialis* epigrammaticam venustatem deprehendit lector. Neque quod aliis quibusdam hoc aevo evenit, intra primas memoriae metas corrueat, sed per longiores temporum recessus plenis merita laudationis velis ferentur.» Hoc ille quidem poetae nostro, cum viveret, tribuit praeconium; posteriores vero<sup>12</sup> laudum fuerunt parciores; nos inepta, frigida, dura libellis inesse Waudraeanis non negamus; at et arguta, salsa, lepida, pervenusta, nova, non vulgaria hic illic reperiri inter sescenta ea epigrammata contendimus; ob id ipsum delectum esse faciendum; est et alia de causa dignus qui ab oblivione vindicetur, quod Iohannem illum Owenum sive Audoenum, epigrammatistam omnium qui post renatas floruerunt litteras ingeniosissimum, luce clarius est imitatus; quam ego rem firmis, ut mihi quidem videtur, argumentis alias sum probaturus; nunc eis esto contentus, lector, elegis atque epigrammatis, quae e tanta congerie selegi ut viri facultatem cognosceres. Fruere et vale.

#### ADNOTATIONES

<sup>1</sup> Exemplum adhibuimus in bibliotheca Guelpherbytana asservatum («192.10 Poet.»). Plerumque agitur de monodistichis (ut ita dicamus), quibus tamen interspersa sunt monostichia (cfr. nr. 3).

- <sup>2</sup> Est hoc monostichium mea quidem sententia immortalitate dignum. Pons ille quis esset non dixit Waudraeus; ego Ludovicum de Ponte fuisse opinor, S.J. sodalem natione Hispanum (1554-1624), qui Coloniae anno 1624 *Meditationes de praecipuis fidei nostrae mysteriis vitae ac passionis Domini Nostri Iesu Christi...* in lucem edidit. Fusius de eo egit N. Sotuellus in *Bibliotheca scriptorum Societatis Iesu* (Romae, 1676), pp. 570-572.
- <sup>3</sup> Laudatur hoc carmine Orlandus Montensis, id est Orlandus Lassus (vulgo Orlando di Lasso, Roland de Lassus) (Montibus Hannoniae, 1532(?) - Monaci, 1594), musurgus sui aevi facile princeps. Desideratur hoc carmen penes H. Leuchtman, *Orlando di Lasso. Sein Leben. Versuch einer Bestandsaufnahme der biographischen Einzelheiten* (Aquis Mattiacis, 1976), I, pp. 264-296 («Gedichte an Lasso, von Lasso und Lasso betreffend»), qui epitaphium Waudraeanum laudavit ab hoc diversum (p. 294): «Hic jacet Hannonius celebris pro cantibus Orpheus/ Cesareas coluit musicus ille domos/ Dictus in humanâ Lassus cognomine vita/ Defunctus meriti pergit honoris iter/ Illius egregios viventis Iberia cantus/ Fovit et arctoo subdita terra polo.» Haud pauci fuerunt poetae qui Lassum laudibus extulerunt, veluti Joannes Auratus (vulgo Dorat), Petrus Ronsardus, Justus Vondelius.
- <sup>4</sup> I.e. amico ficticio ad quem datae sunt elegiae. Eum ne putent lectores Philomusum esse eundem, qui et Philomathus vocatus est, sive Fabius Card. Chisius (vulgo Chigi, postea P.M. nomine Alexander VII), cuius *Muae iuveniles* Coloniae anno 1645 primum prodierunt.
- <sup>5</sup> Cfr. epigramma, quod decimum laudavimus.
- <sup>6</sup> I.e. Threicio.
- <sup>7</sup> Cfr. etiam adnot. 3.
- <sup>8</sup> Cfr. e.g. C. von Jan (ed.), *Musici scriptores Graeci* (Lipsiae, 1895-1899).
- <sup>9</sup> Dicitur Arion, qui tam suaviter lyra ac voce cecinit, ut delphini navem, qua ille in Graeciam traiciebat, circumsteterint, cantorem tergoribus acceperint itaque a praedonum insidiis liberaverint.
- <sup>10</sup> Dicitur Amphion qui instrumento musico tam venuste canebat ut saxa in murorum formam sponte confluerint; quo ille modo Thebanorum moenia exaedificasse narratur.
- <sup>11</sup> De Waudraeo pauca scripsere F. Sweertius, *Athenae Belgicae* (...) (Antverpiae, 1628), p. 497; V. Andreas, *Bibliotheca Belgica* (...) (Lovanii, 1643<sup>2</sup> = Nieuwkoop, 1973), p. 598; J. N. Paquot, *Mémoires pour servir à l'histoire littéraire des dix-sept provinces des Pays-Bas* (...), 5 (Lovanii, 1765), pp. 12-15; J.H. Hoeufft, *Parnasus Latino-Belgicus, sive plerique e poëtis Belgii Latinis,*

*epigrammate atque adnotatione illustrati* (Amstelaedami et Bredae, 1819), p. 145; P.H. Peerlkamp, *Liber de vita, doctrina et facultate Nederlandorum qui carmina Latina composuerunt* (Harlemi, 1838<sup>2</sup>), pp. 356-357; A. Mathieu, *Biographie montoise* (Montibus, 1848), pp. 271-274; A. Bara, 'Ecrivains montois. Les poésies latines de Julien Waudré', *Annales du cercle archéologique de Mons*, 1 (1857), 163-179; H. Rousselle, *Bibliographie montoise. Annales de l'imprimerie à Mons depuis 1580 jusqu'à nos jours* (Montibus-Bruxellae, 1858 =

Nieuwkoop, 1971), passim; F. Lecouvet, *Hannonia poetica ou les poètes latins du Hainaut* (Tornaci, 1859 = Genavae, 1971), pp. 199-213; E. Matthieu, *Biographie du Hainaut*, 2 (Angiani, 1903), pp. 411-412; J. Becker, *Un établissement d'enseignement moyen à Mons depuis 1545* (Montibus, s.a.[1913]), pp. 65-77; A. Roersch, 'Waudré (Julien de)', in *Biographie nationale*, 27 (Bruxellae, 1938), cc. 104-108.

<sup>12</sup> Nam Waudraeus exeunte anno 1649 supremum obiit diem.

## DE NOVO LIBRO

**Dr SEUSS, *Cattus Petasatus*, in Latinum verterunt Guenevera et Terentio Tunberg, ed. Bolchazy-Carducci, 2000, 75 p.**

Guenevera et Terentius Tunberg lectoribus iterum (nam recordamini fabulam Grinchi, qui Christi natalem abrogare voluit, anno 1998 Latine editam) ergo iterum offerunt Doctoris Seuss lepidissimam narrationem in Latinum lepidissime versam; hic narrantur extraordinaria quae duobus pueris accidunt die quodam pluvioso, cum quid agant ad tempus terendum nesciunt:


«Dum sedemus otiosi  
Somnulenti, stomachosi,  
Dico Sarae displicere  
Mihi semper sic sedere.»

Tum fit fragor ingens; ex improvise limen intrat cattus quidam petasatus et... sed ipsi legatis, quales strophas iste cattus pueris proponat, strophas, quae non omnibus sunt placiturae, imprimis non omnino pisci domestico.

Versus Latini tam iucunde, tam fluenter, tam naturaliter leguntur, ut huiusmodi versio Latina nobis videri possit factu facillima. Non est ita. Illi enim versiculi, exemplum mediaevale secuti, strictis oboediunt regulis, quae in fine libri opportune explicantur, exemplis allatis. Subiunctus est etiam index vocabulorum.

Ut suspicamur, haec fabula non solum pueris perplacebit...

*Bolchazy-Carducci Publishers, 1000 Brown Street, Unit 101, Wauconda, Illinois 60084; <http://www.bolchazy.com>*



# DE LITTERIS RENATIS

## QVID HISPANIA DOCVERIT

REFERT VOLFGANGVS JENNIGES

**I**nter octavum et decimum tertium diem mensis Mai anni vergentis post Christum natum bis millesimi tertius ex omnibus nationibus conventus de litterarum renatarum aevo orbeque antiquo ad nos usque proviventi Alcagnici in Aragonensium oppidulo habitus est<sup>1</sup>. Qui conventus Antonio Fontano inter Hispanos doctissimo viro dicatus cura praesertim Instituti Studiorum Humaniorum Alcagnicensis Studiorumque Universitatis Gaditanae aliorumque instituebatur et plus ducentis acroasibus unam per hebdomadem dispositis insigniebatur.

Saeculo XVI oppidum Alcagnicium quod vocatur<sup>2</sup> exstitit haud ignobile. Etenim Alcagnici nati sunt celebres philologi, inter quos eminet Ioannes Sobrarius (*Juan Sobrarias*), qui fuit et medicus et poeta et Vergili operum omnium editor in Hispania primus<sup>3</sup>. Accedunt Petrus Royzius Maureus (*Pedro Ruiz de Moros*) qui praeter permulta poemata praecipue de iure scripsit Cracoviaeque cathedram iuris prudentiae obtinuit, Ioannes Laurentius Palmyrenus (*Juan Lorenzo Roca*) poeta qui fuit et grammaticus, cuius *Fabella Aenaria* bis inter conventum vespere quodam a grege studiosorum Valentino acta est<sup>4</sup>, alii. Quibus non mirum quod ex acroasibus Alcagnicensibus haud exigua pars dedicabatur. Flabat autem novus ille litterarum artiumque renatarum ex Italia spiritus Hispaniamque pervasit omnem, quippe quae praeter ducatum Mediolanensem Imperiique arma regnum tenens Neapolitanum Siciliamque, artiore cum Itolorum cultu civili renascenti haberet necessitudinem. Ceterum et Hispani quos supra memoravimus propriis oculis Italiam inviserant, illic studia sua obeuntes (e.g. in celeberrimo Hispanorum collegio Bononiensi, a divo Clemente nuncupato), quod exemplum alii multi ex septem trionibus oriundi ad recentiora usque tempora sunt secuti.

Acroases autem ipsas, Hispanice plerumque habitas<sup>5</sup>, cum multae multiplicesque fuissent uniusque hebdomadis spatio compressae, varii generis neque eiusdem notae esse oportebat. Sunt enim qui hoc genus conventum adeant, ut ex laboribus suis novum aliquid vereque singulare rei publicae doctorum proponant, alii qui argumentorum studiorumque pondere minus

gravati, colloquiorum et commerciorum in primis quaerant occasiones. Quae cum ita essent, post maiores orationes, quibus impendebatur plus temporis, quinque sexve circuli, ut est in more positum, cotidie simul instituebantur et necessitas erat eligendi. Quibus in circulis modo iucundius, modo aridius, modo tritius, modo doctius, de rebus agebatur grammaticis historicis religiosis philologicis rhetoricis poeticis aliis, ut unicuique profecto quod erat in votis discendi delectandique occasio praeberetur.

Restat ut non minimi pendendam notemus rem: editionem dicimus novorum quorundam fasciculorum periodicorum, ab Instituto Studiorum Humaniorum Alcagnicensi, Instituto Studiorum Turolensium<sup>6</sup>, Studiorum Universitate Gaditana<sup>7</sup> editorum, qui Latine inscribuntur *Calamus renascens*, quorumque primum 423 paginarum volumen<sup>8</sup> duas et viginti symbolas continet doctissime compositas<sup>9</sup>. Utinam haec incepta studiorum Latinorum novum inter Hispanos parent impetum Latinitatique et antiquae et recentiori, immo recentissimae, emolumento sint perutili. 🐉

### ADNOTATIONES

- 1 Hispanice nuncupabatur *Tercer Congreso Internacional de Humanismo y pervivencia del Mundo Clásico - Homenaje a Antonio Fontán, Alcañiz, 8 al 13 de mayo del año 2000*.
- 2 Hispanice *Alcañiz*.
- 3 Prodiit haec editio bis Caesaraugustae annis 1513 et 1516. Quae opera inter alia veluti thesaurum ex variis bibliothecis desumptum inter conventum publice exponebantur.
- 4 Insuper eius *De vera et facili imitatione Ciceronis* commentarius, anno 1560 Caesaraugustae editus, inter varia opera exposita ostendebatur.
- 5 Praeter unam alteramve Lusitane aut Anglice habitam; Latine autem nulla facta est acroasis.
- 6 *Teruel* in Aragonia.
- 7 *Cádiz* in Baetica.
- 8 *Calamus renascens. Revista de humanismo y tradición clásica* 1 (2000), ISSN 1576-3471.
- 9 Hispanice (praeter unam Anglicam).

# TRIADEM GOETHEANAM

IN LATINVM VERTIT NICOLAVS GROSS


**A**nte unum annum, die 28 m. Aug. 1999, celebratum est Iohannis Volfgangi de Goethe, poetae mundani et coryphaei litteraturae Theodiscae, iubilaeum natale ducentesimum quinquagesimum. Singularis huius sollemnitatis causa Latine reddidi tragoediam Godefridi («*Götz von Berlichingen*») et fabulam novellam («*Novelle*») et fabulam Wertheri epistolicam («*Die Leiden des jungen Werther*»), tria opuscula Goethei prosaica, quibus inter se coniunctis imposui nomen *Triadis Goetheanae*. Quosdam autem textus ex hac triade Latina excerptos praebere velim lectoribus Melissae.

Ceterum haud scio, an nonnulli ex his textibus iam ipsius Goethei aetate sint Latine redditi; olim enim audivi epos Goetheanum Hermanni et Dorotheae Latina veste donatum esse (ipsique poetae hanc vestem perquam placuisse!) necnon Friderici Schilleri illud Campanae carmen celeberrimum iam duodecies (!) in Latinum conversum esse.

Haec autem sunt carmina; fabulam novellam et Godefridum et Wertherum numquam accepi tunica esse indutos. Equidem hoc loco proponam Triadem Goetheanam a me ipso Latine redditam. Si quis proposuerit eadem opuscula Goethei Latinius et elegantius conversa, haud recusabo, quin concedam interpreti meliori. Tu autem, candide lector, iudica ipse et perge mihi favere.

Romanica fabula epistolica, c.t. «*Die Leiden des jungen Werther*» (i.e. Iuvenis Werther quae passus sit) a Goethe mensibus Februario et Martio anni 1774 conscripta est. Quod opus eodem iam anno in lucem editum est idque ingenti cum successu. Cum exorti sint iuvenum mores atque consuetudines Wertherianae - vivebatur, amabatur, dolebatur secundum exemplum Wertheri - tum praecipue non pauci lectores imitati sunt heroem in fine fabulae mortem voluntariam sibi consciscentem. Revera tam vehementer gliscebat hic mos mortem quoque Wertherianam imitandi, ut praepositi facultatis theologiae universitatis Lipsiensis interdicerent, ne legeretur istud opus Iohannis Volfgangi de Goethe periculosissimum...

\*  
\* \*



IUVENIS WERTHER QUAE PASSUS SIT

Quaecumque invenire potui de historia miseri Wertheri, sedule collegi vobisque hic propono, quo scio vos gratos fore erga me. Nec poteritis, quin admiremini et diligatis eius animum indolemque, quin defleatis eius fortunam adversam. Tu autem, bona anima, quae sentis eundem impetum ac ille, consolare te eius passione et sine libellum tibi fieri amicum, si aut fato aut culpa propria non invenis familiarior.

*Liber primus*

*Die 4 m. Maii a. 1771*

Quantum gaudeo me abesse! Amice optime, quid est animus hominis! Me reliquisse te, quem tantum diligam, a quo disiungi non potuissem, et gaudere! Scio te veniam daturum. Nonne ceterae amicitiae fato mihi destinatae tales erant, ut sollicitarer? Miseram Leonoram! Tamen non sum in culpa. Num ego commisi, ut, dum iucunde delectabar a sorore eius lepidissima, commoveretur eius ipsius animus miserrimus? Tamen - num culpa prorsus vaco? Nonne auxi eius commotiones? Nonne ipse oblectatus sum naturae expressionibus prorsus veris, quae saepe risum nobis moverent, quamvis minime essent ridiculae, nonne - o quid est homo, ut ei liceat queri de se ipso! Volo, care amice, hoc tibi promitto, volo fieri melior, non iam volo aliquantulum mali, quod fato nobis affertur, ruminare, sicuti semper feci; volo frui praesentibus, et praeterita mihi praeterierint. Certe, recte iudicas, mi optime, homines minus vexarentur doloribus, nisi - Deus scit, quare eos tales fecerit - imaginatione tam industria potius studerent revocare memoriam mali praeteriti quam patiuntur praesentia, quae sunt nec bona nec mala.

Dicas, te amabo, matri meae me negotium eius optime curaturum eamque quam maturrime certiorum facturum. Cum matertera collocutus nequaquam inveni eandem esse malam mulierem, qualis esse apud nos dicitur. Quae est alacris femina vehemens animi optimi. Explicui ei matrem aegre ferre, quod sibi prohiberetur pars hereditatis; illa mihi attulit causas et rationes et condiciones, quibus ipsa parata esset ad omnia tradenda et



plura quam nos postularem. - Ne multa, nunc de his nihil volo scribere, dic matri meae omnia bene eventura. In hoc autem negotiolo, mi care, iterum expertus sum inertia falsisque opinionibus fortasse in mundo plures perturbationes fieri quam dolo et malitia. Saltim hae postremae certe rariores sunt quam illae.

Ceterum hic perbene me habeo, in hac paradisiaca regione solitudo est medela animae meae pretiosissima, necnon hoc tempore anni iuvenili abunde calefit anima mea horrescens. Omnis arbor, omnis saepes est tamquam fascis florum, et velles fieres melolontha, ut circumvolitares in hoc mari fragrantiarum, ubi invenires totum victum tuum.

Cum iniucundum sit oppidum ipsum, natura circumiectorum est ineffabiliter pulchra. Itaque Comes de M. defunctus animum induxerat, ut hortum conderet in uno e collibus, quorum altero huc, altero illuc versis formantur valles amoenissimae. Hortus est simplex; intrans statim sentias eum condendum non delineatum esse a docto hortulano, sed ab animo mollissimo, qui hic frui vellet se ipso. Defuncto dedi haud unam lacrimam in zotheca dilapsa, quae ei fuit locus dilectissimus necnon est mihi. Mox ero horti dominus; hortulanus mihi favet, ex paucis tantum diebus, unde non male se habebit.

*D. 10 m. Maii*

Mirabili hilaritate, quae est similis dulcibus temporibus matutinis, quibus fruor toto ex corde, capta est tota anima mea. Solus sum et gaudeo, quod vivo in hac regione, quae creata est talibus animis, qualis est mea. Tam beatus sum, mi optime, tam traditus sensui vitae quietae, ut negligam artem meam. Licet nunc non possim delineare, ne unam quidem lineam, tamen numquam fui maior pictor quam his momentis temporis. Cum circa me vaporat vallis amoena et sol altus residet in summis silvae meae tenebris imperviis et singuli tantum radii furtim penetrant in sacrum interius, ego cubo in altis graminibus ad rivum cadentem et humo propior animadverto sescentas herbulas varias; cum animalcula huius mundi parvi borrientia culmis interposita, tum innumeras formas inexplicabiles vermiculorum, muscularum sentio cordi meo propiores, et sentio praesentiam Omnipotentis, qui nos creavit secundum imaginem sui, afflatum Omniamantis, qui voluptate aeterna volitans nos secum fert et servat; mi amice! cum circa oculos meos vesperascit, et mundus mihi circumiectus caelumque prorsus quiescunt in anima mea sicut imago amatae; tum saepe desiderio completus cogito: utinam scires hoc exprimere, utinam scires hoc chartae inspirare, quod tam plenum, tam calidum vivit in te, ut fieret speculum animae tuae,

sicut anima tua est speculum Dei infiniti! - Mi amice - At his pereo, succumbo magnificentiae horum visuum vehementissimae.

*D. 12 m. Maii*

Nescio, utrum spiritus fallaces hanc regionem circumvolitent an animo meo insit dulcis visio caelestis, qua omnia circumiecta mihi videantur perquam paradisiaca. Proxime enim ante vicum est puteus, puteus, ad quem tam defixus sum quam Melusina cum suis sororibus. - Colliculum descenderis, stabis ante fornicem, unde deducunt viginti fere gradus, infra e saxis marmoreis scaturit aqua limpidissima. Parvus murus, quo puteus supra circumcluditur, altae arbores, quibus obsita est platea circumiecta, loci frigus amabile; quibus omnibus quadamtenus attrahor et horresco. Nullus dies praeterit, quin horam ibi sedeam. Tum ex oppido puellae illuc veniunt aquatum; quod est negotium securissimum maximeque necessarium, quo olim fungebantur ipsae filiae regum. Dum ibi sedeo, animum meum vividissime circumversatur imago avita maiorum omnium prope puteum inter se noscentium nuptiasque petentium spirituumque benevolorum circa puteos et fontes volitantium. O numquam se recreaverit puteo frigidulo post grave iter aestivum, qui haec non pariter sentit.

*D. 13 m. Maii*

Quaeris, num velim mittas mihi meos libros? - Mi care, per Deum te rogo, quos avertas a cervicibus meis! Nolo iam induci, incitari, incendi, hic animus satis aestuat se ipso: egeo lallis cunarum, quae inveni uberrima apud meum Homerum. Quoties lallando animum meum excitatum tranquillo, nam nihil umquam vidisti tam inaequale, tam instabile quam est animus meus. Mi care! Quid tibi hoc dicam, qui ipse toties molestatus es videns me transire ab aegritudine ad intemperantiam, a dulci maestitia ad cupiditatem perniciosam? Teneo quoque animulam meam sicut infantulam aegrotam; ei semper morigeror. Ne aliis hoc dicas, sunt, qui mihi vitio vertant.

*D. 15 m. Maii*

Humiles vicani me iam noverunt et diligunt, praesertim parvuli. Cum in initio iis me associavisset, comiter interrogassem de his et illis rebus, nonnulli, cum putarent se a me illudi, admodum inurbane me repudiaverunt. Cuius rei me non piguit; sed sensi quam vividissime id quod iam saepe animadverteram; homines ordinis amplioris a vulgo semper frigide se removebunt, quasi credant se appropinquando aliquid honoris perdituros esse (...).

# DE VENENIS BREVIS HISTORIA

CONSCRIPTA A GAIO LICOPPE

**L**ues quaedam aequalium nostrorum animos multum sollicitat. Agitur de usu «drogarum». Sed imprimis de ipso vocabulo «droga» explicandum est cur eo infra iam non utar.

Nothum verbum «droga» nihil re vera accurate significat. Saeculo XIV in scripto Francogallico primum invenitur vocabulum «droguerie», quo generaliter appellantur varia condimenta arida et pharmacopoea. Inde derivatum est XV saeculo vocabulum «drogue», de quo in lexico Iesuitico (*Dictionnaire Jésuitique de Trévoux dans l'Ain*; 1752) leguntur haec: «hoc verbo generaliter nuncupantur merces adventiciae, quae constant ex omni genere condimentorum e longinquis terris plerumque oriundorum; quae condimenta usui sunt medicis, infectoribus et artificibus.» Deinde in lexico de «Littré» nominato haec alia definitio legitur: «quaecumque in suo genere malae res e condimentis vel productis chemicis constantes.» Hic ergo apparet notio rei maleficae. Postea in lexico de «Larousse» nominato leguntur haec: «nomine 'drogue' vocatur omnis substantia, qua gignitur inertia corporis et animi.»

Etymologia verborum «droguerie» et «drogue» est dubia; multae hypotheses productae sunt, inter quas origo Nederlandica; in sermone enim Nederlandico «droog» valet tamquam «siccus». Alii putant originem esse sive in verbo Arabico «durāwa» (i.e. palea), sive in verbo Persico «droa» (i.e. odor), sive recentius in quadam forma meridionali verbi temporalis Latini quod est «derogare». Verbum «drogue» in sermonem Anglicum assumptum «drug» factum est, quo solum significatur medicamentum.

In Conventione Internationali anno 1936 Genavae pacta ad stupefactivarum<sup>1</sup> substantiarum illicitam mercaturam reprimendam, adhibebatur verbum «drogue» quo hae substantiae nuncuparentur. Anno 1946, cum de hac Conventione recogitaretur, Protocollum de substantiis stupefactivis Neoeboraci additum est, ubi ad has substantias nuncupandas adhibebatur verbum «drogue» cum adiuncto adiectivo «noxio», quia anceps erat eius significatio. Anno 1961 Mundana Sanitatis Organizatio Conventionem Unicam Neoeboracensem de substantiis stupefactivis pepigit, ubi verbum «drogue» iam non adhibebatur.

Quae cum ita sint, vocabulum Latinizatum

«droga» fortasse familiariter adhiberi potest, sed non convenit ad argumentum nostrum tractandum. Praeterea neologismus «droga» non est necessarius, cum «venenum» eandem significationem habeat et aeque ancipitem.

Cum agitur de usibus stupefactivis, plerumque solum de substantiis chemicis cogitamus. Sed non desunt aliae res, quibus acies mentis hebescit. Non rari sunt, exempli gratia, iuvenes asservientes perpetuo tonitralique strepitu, quem musicam vocare non timent. In praesenti tamen solum tractabimus de substantiis psychotropicis.

Antiquissimi atavi nostri manifesto solebant omnia, quae in circumiectis inveniebant, experiri et gustare; quare complura venena reppererunt, inter quae nonnulla mentes animosque perturbabant. Non mirum ergo, si iam ab historiae cunabulis in scriptis Sumeriorum Aegyptiorumque invenitur mentio opii, mandragorae, hyosciami et cannabis. Antiquitus in Mesopotamia et in Aegypto iam exstabant potiones alcoholicae fermentatione quadam factae, quae decursu temporum verae cervesiae factae sunt. Vinum serius inventum est, sed tamen ante tempus quo conceptum est Vetus Testamentum; nam ibi narratur Noe vitis cultum instituisse, vini faciendi modum invenisse... atque ebrium evasisse.

Apud Homerum legitur Medeam, famosam magam, vim medicinalem plantarum novisse. In Odysea narratur Telemachum patrem anxie quaerentem Spartam adisse, ubi Helena inter convivium apud Menelaum venenum  $\eta\pi\pi\epsilon\upsilon\theta\epsilon\varsigma$  (i.e. quod maerorem sedat) in cratere miscuit ad eius animum placandum. Ceterum fama fert Aristotelem periisse propter nimiam aconitorum copiam ingestam.

Atriplex, quod hodierni botanistae «atropam» vocant, notum est tempore imperii Romani. Dioscorides enim refert de visionibus multicoloribus et de hallucinationibus quas gignit. Locusta, mulier veneficiis famosa, ut ait Tacitus, quae Britannicum veneno interfecit, atriplex in potione praebat eis, qui iam tunc temporis erant insolitorum sensuum avidi.

Helleborus iam diu erat in usu; Melampus enim dicitur filiabus Argei regis, quae mente insanæ factae erant, bibendum dedisse lac caprarum helleboro pastarum, quo resipuerunt.

Etiam lactucae sucus a Dioscoride et Galeno



adhibebatur ut medicamentum mitigatorium et antispasmodicum<sup>2</sup>. Ipsum lactucae nomen ducitur a lacte, cum eius succus lactis aspectum habeat.

Nymphaea antiquitus adhibebatur ad libidinem veneriam sedandam. Cannabis in usu communi erat, ut patet e scriptis Dioscoridis et Galeni.

Nos ergo non latet antiquos homines vim psychotropicam<sup>3</sup> multarum plantarum iam invenisse atque eam adhibuisse, non solum in medicina, sed etiam in divinatione, in maleficiis nec non in delectamentis.

Substantiae psychotropicae, ut ipso verbo significatur, animum perturbant; antiqui autem de animi sede diu dubitaverunt.

Alcmaeo Crotoniates, qui circa quingentesimum annum a.Ch.n. vixit Pythagoraeque discipulus erat, primus dicitur fuisse, qui animalia prosecuit ad eorum fabricam cognoscendam. Ille iam censebat cerebrum ordinare et regere functiones vitae.

Hippocrates refutavit opinionem tunc communem, secundum quam sedes animi collocaretur sive in diaphragmate sive in iuxtaposito corde, atque autumavit intelligentiam esse in cerebro. De animi sede ad diaphragma (Graece φρήν)<sup>4</sup> aliquid superest recentioribus temporibus divulgatum. Nam ineunte XIX saeculo Germanus medicus F.J. Gall nomen «phrenologiae» dedit novae scientiae (nunc omnino obsoletae) in sua theoria nitenti, qua postulatur indolem mentemque cuiuscumque hominis detegi posse externam cranii formam examinando.

Tertio saeculo a.Ch.n. in regno Ptolemaico licuit corpora humana prosequere. Medici Alexandrini Herophilus et Erasistratus cerebri anatomiam explorare coeperunt, quia pro certo habebant ibi inesse intelligentiae sedem.

Secundo saeculo p.Ch.n. Galenus finem fecit istius veteris controversiae, cum suis experimentis demonstraret animum et intelligentiam sine dubio sitam esse in cerebro, non in corde.

Sed redeamus ad venena. Primo saeculo p.Ch.n. Dioscorides Graecus medicus artem suam exercuit in Romanorum exercitu. Qui fuit optimus naturae speculator omni superstitione carens. Magnum opus e quinque libris constans conscripsit c.t. Περὶ ὕλης ἰατρικῆς (i.e. Tractatus de materia medica)<sup>5</sup>. His in libris describit proprietates medicinales sescentarum plantarum et plurium venenorum. Multa tamen tradita refert, quae vera sunt falsa, sed ipse omnia comprobare certe non potuit. Eius opus per multa saecula fuit summa omnis scientiae pharmaceuticae.

Plinius Maior nonnulla refert de opio: «Papa-veris sativi tria diximus genera... E sativis albi calix ipse teritur et e vino bibitur somni causa... E nigro papavere sopor gignitur scapo inciso, ut Diagoras

suadet... Incidi iubent sub capite et calice... Sucus... excipitur... et postero die magis, quod inaruit, densatus et in pastillos tritus in umbra siccatur, non vi soporifera modo, verum, si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnos. Opium vocant.» (Nat. XX 76).

Galenus inter medicamina theriacam commendat, quae constat ex 70 venenis in pingui melle commixtis. Inest magna pars opii. Fama fert illud medicamen ad usum Mithridatis VI Magni compositum esse, quo cottidie ingesto protegeretur contra ferarum bestiarum morsus venenatos et alia mala venena. Pompeius, devicto Mithridate, huius compositionis formulam Romam rettulit. Nomen theriacae ei datum est a poeta Nicandro Colophonio (II s. a.Ch.n.), qui inter alia carmen panxit c.t. Τὰ Θηριακά<sup>6</sup>.

Sexto saeculo p.Ch.n. Aaron «pandecten medicinae» composuit, qui constabat e selectis Galeni textibus in Syriacum sermonem versis.

Post Arabum Mahumetanorum imperii ortum, Iudaeus medicus Massersawaih nomine hoc opus transtulit de Syriaco in Arabicum sermonem.

Aetate Arabicae dominationis, quae vergente primo millennio ad fastigium pervenit, nonnullae novitates apparuerunt, inter quas «camphora» ex India importata, qua systema nervosum stimulatur. Alembicum<sup>7</sup> etiam per Arabes in Europam occidentalem pervenit, quamquam destillatio a Graecis iam erat nota, ut legitur apud Dioscoridem. Alchemia eodem tempore orta per complura saecula arcano culta est.

(continuabitur)

#### ADNOTATIONES

- 1 stūpēfāctīvūs, ā, ūm: Zach. Brendelius, *Chimia in artis formam redacta*, Lugduni Batavorum 1671 p. 57.
- 2 āntīspāsmōdīcūm, ī n.: contra spasmos; B. ZLOTNICKI, *Lexicon medicum*, Varsaviae, Polish Medical Publishers, 1971, p. 82. Apud Plinium legitur spasmus, i et spasticus, a, um.
- 3 psūchōtrōpīcūs, ā, ūm: quod animum tangit; cfr Hergé, *De Sigaris Pharaonis*, in *Latinum convertit C. Eichenseer*, Tournai, ELI / Casterman, 1990, p. 5.
- 4 ἐς φρένα θυμὸς ἀγέρθη Il. 22,475, Od. 5,458: animo se recepit.
- 5 ὕλη = lignum, silva; sensu translato materia poematis vel libri; ὕλη ἰατρική = materia medica, cuncta quae spectant ad medicinam.
- 6 thērīācā, ae = ἡ θηριακῆ, id est remedium contra ferarum bestiarum morsus; θηριακός, ἡ, ὄν = quod spectat ad feras bestias (Gal. 6,149).
- 7 ālēmbīcūm, ī n.: instrumentum destillationis; Zach. Brendelius, *Chimia in artis formam redacta*, Lugduni Batavorum 1671 p. 15; ex Arabico 'al 'anbīq et Graeco ἄμβιξ.

# DE HORTO ERASMI

SIMPLICISSIME SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

**E**rasmus procul dubio hortos amavit. Nonne totum colloquium, cui titulus est «Convivium religiosum», compositum est circa hortum quendam? In eo agitur de horto peculiari, de horto paradisiaco, de horto ita excogitato, ut ambulatori praebeat occasionem philosophandi. De horto, ut ita dicam, philosophico.


Bruxellis autem iuxta domum Erasmi<sup>1</sup> - quae domus, in qua Erasmus anno 1521 remansit quinque menses, facta est pulcherrimum museum eidem humanistae dicatum - iuxta domum Erasmi, inquam, iam diu est hortus herbarius; hoc loco coluntur herbae, quibus Erasmus curare solebat suum, ut ipse aiebat, «corpusculum» saepe dolorosum: helleborus contra podagram, vaccinium myrtillus contra vomitus, acanthus contra tuberculosin, petroselinum contra renum arenam, myrrhis odorata contra pestem, mille et mille herbarum genera, quibus curiones olim sanabant aegrotos.

Pone hunc lepidum hortum etiam erat area inculta. In qua Alexandro Vanautgaerden rectori domus Erasimianae in mentem aliquando venit illum hortum philosophicum conficere, de quo agitur in Convivio religioso. Hoc optimum et attractivum propositum post duos annos assiduae praeparationis ad effectum adduxit una cum architectis, botanicis, hortulanis, artificibus et Latinistis. Atque ecce die 17 m. Iunii sollemniter inauguratus est novus hortus philosophicus, multis praesentibus et sole peropportune splendente (nam nolite oblivisci nos hic esse in Belgica: res tam improvisa quam sol splens digna est quae memoretur!).

In horto nunc omnibus aperto unaquaeque res, vel minima, prospectus, arbor, opus exsculptum, habet suam significationem et ambulatores invitat ad meditationem. Architectus in solo delineavit magna folia, quibus continentur sive stagna sive loca floralia. Haec herbis et floribus ostendunt terras Erasmo notas. In illis caelum collustratur atque, si ad aquam incubueris, adagia Latina tibi videbuntur innare speculo, tamquam imago tui, aut imago tuarum cogitationum, aut imago sapientiae universalis:

Difficilia quae pulchra  
Vbi bene, ibi patria  
Avt regem, avt fatvum nasci oportere  
Vbi amici, ibi opes  
Civis mundi svm, commvnis omnivm vel  
peregrinvs magis  
Sidera addere caelo  
Festina lente

Liber etiam est editus, cui titulus est «Hortus Erasmi». Eum in ambulatione tua philosophica habeas loco mystagogi. Tum intelleges hortum non solum esse pulchrum, sed etiam sapientiae plenum. Denique, cum ex horto exhibis, cogita huiusmodi ambulationem numquam invenire finem. Huc ergo erit redeundum... ☺



*Erasmus vos libenter invitat in suum hortum novum, ubi inveniatis id quod quaeritis, iucunda colloquia, cogitationes pulchras, philosophicas meditationes, simplicem quietem...*

<sup>1</sup> Domus Erasmi, rue du Chapitre, 31 - 1070 Bruxelles;  
erasmushuis.maisonerasme@skynet.be